



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

§.6. In Serie Visuntina.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

chipræsule. Idem Archipræsul in Palæstinam profectus, præfente Sultano Ægyptiaco pronuntiatis altè SS. Triadis nominibus imaginem dæmonis in mille dissolvit frustra, ob miraculosum hoc factum Martyr invictissimus passus an. 1101. Martyrium durissimum.

Pag. 52. & seqq. emissò à parentibus voto conceptus Eberhardus filius, quantus sit futurus prodidère ova gemina præter & supra morem naturæ à gallina quappiam posita. Idem successu temporis orationi perpetuæ intentus, cùm aliquando consecratam hostiam, ut vocamus, ægotanti porrigeret, verùm hic eandem subitò ex ore cum vomitu redderet, Archiepiscopus supposita manu utrumque excepit, & absorbuit, testatus sanctissimè, præ alia quavis cupidine sapuisse sibi hunc cibum cœlestem. Requisitus paulò post ab eodem Eberhardo æger, haud ampliùs est inventus, opinantibus inde plerisque, ægrum hunc ipsissimum fortè fuisse Christum Servatorem nostrum.

Idem à dæmone hominem durissimum in modum torquente inventus est idoneus, qui infernali hospite miserimum mancipium liberaret; cùm responderet exorcismis adactus nebulo: *nemo me pellet, nisi pater pauperum.* Cæterùm sepulchrum hujus Archipræsulis multis inclaruit miraculis.

§. 6.

IN SERIE VISUNTINA.

Pag. 349. cùm D. Justus cum morte luctaretur, ex ejusdem ore beata anima instar candidæ columbæ ad cœlos ascendit.

Pag. 351. S. Germanus à latronibus oppressus audiit vocem de cœlo delapsam, qua animatus caput securi subdidit: percussa autem D. Martyris cervice terra adeò contremuit, ut collaberentur mœnia urbis Grandisfontanæ. Truncus corporis interea stans erectus recepto in manus capite abiit Angelo comite, luce clara duce, supra collum sedente columba cœlesti.

Pag.

Pag. 359. S. Celidonus à Theodosio II. Imp. divinitus admonito accepit brachium S. Stephani. De transmissio per longissimum viarum spatium brachio divinitus pariter edocti diem vicini in Francia Episcopi, Visuntium properarunt circa annum 444. inspecturi rem coram. Omnibus igitur dum simul ostendit thesaurum hunc suum D. Celidonus, & particulam singulis de eodem impertire parat, copiosus mox inde effluxit sanguis, qui dispersus abundè sufficere potuit decem Episcopis.

Pag. 362. S. Prodatius in vota vocatus imperavit aeris tempestatibus. Hujus ipsius ætate brachium D. Stephani à furibus clam ablatum, sed & inventum insignibus claruit miraculis.

Pag. 363. cum Canonici Visuntini an. 633. in Electione novi Archiepiscopi dissiderent maximopere, simulque flexis genibus Superos rogarent, ut quem eligerent Canonici, inspirarent: continuo vox de cœlo lapsa dictavit, eligendum esse Claudium.

Pag. 364. D. Donatus Seculo VII. sterilibus parentibus eo pacto à D. Columbano est impetratus, ut natum filium parentes Deo dicarent, quod evenit miraculi teste ipsomet *Donati* nomine.

Hactenus relata fusissimè ferè ad verbum ex Hübneri tomulis, teste paginarum numero, describere placuit. Longè plura miracula ab Episcopis per Germaniam universam patrata desideranti dabit ipse Hübnerus in citt. tomulis VII. & VIII. uti apparebit etiam ex Reflexionibus, quæ sequentur. Unde denuo mecum sic reputabam: si non tot, permultis saltem miraculis cœlum propitium Episcoporum Germanorum doctrinam & virtutem confirmavit & illustravit per secula non solum prima, sed & media, imò & ultima. Si verò inter miracula lucere non cessavit Ecclesia Germana, cur non etiam Romana, cujus se filiam constanter professa est, & hodie profitetur? Unde sequuntur Reflexiones proximæ.